

& iteratò figatur cum illa vt stet, & quando huius complementi exuberantiæ ordo reiteratur pluries, tantò & huius exuberantia medicinæ multiplicatur magis: & illius magis augetur bonitas, & multiplicatur illius augmentum perfectionis maximæ.

Et nos quidem ne mordeamur ab impijs, complementum narramus totum huius magisterij, sub breui sermone completo & noto.

Et est illius intentio, vt per sublimationis modū mundetur perfectissimè lapis, & illius additamentum.

Et ab hinc quidem cum ingeniorum modo volatuum ex eis figatur. De hinc verò fixum volatile fiat. Et iteratò volatile fixum, & in hoc ordine completur arcannum preciosissimum, quod est super omne huius mundi sciētiarum arcannum, & thesaurus incomparabilis: & tu quidem exciteris ad illum cum laboris instantia maxima, & cum diuturnitate meditationis immensæ, cum illa enim inuenies, & sine illa non: & huic quidem medicinæ reiteratio bonitatis administrationis, cum talis cautelæ industria potest in præparatione lapidis euenire, quousq; argentum viuum mutet in infinitum solificum, & verum lunificum: & non dependet nisi in multiplicatione illius: iam enim laudetur sublimis naturarum Deus benedictus & gloriosus, qui nobis omnium medicinarum reuelauit seriem cum illius experientia, quam illius inuestigationis bonitate, & nostri laboris instantia perquisiuimus, & oculo vidimus, & manu tetigimus, complementum illius nostro magisterio indagatum. Sed etsi quidem hanc palliauimus, non miretur doctrinæ filius, non enim illi palliauimus: sed malis & improbis eam tali sermone tradidimus, quam latere insipientem necessariò accidit, & eodem ad illius inuentionis perquisitionem prudentes allici possiat. Filij ergo doctrinæ perquirite, & hoc excellentissimū Dei donū vobis solis seruatum, filij insipientes nequitia, & maleuoli prauitatis immensæ, ab hac scientia fugite: quoniam vobis est inimica & aduersa, & vos in miseriam paupertatis constituet: quoniā vobis penitus hoc Dei donum diuina prouidentia est occultatum iudicio, & denegatū omnino: Hæc Geber. Idem dicit libro primo, capi-